

sentat luctam spiritus cum carne, qui scilicet carnem suam lapide austeritatis dejicit, et gladio mortificationis caput illi abscondit ne praesit, sed subsit. Unde S. Chrysostomus Goliath vocat « turrim carnaem. » Rursum, subigit sibi frontem, quia in fronte animi in dolens et passiones, ac praesertim superbia, impudentia et feritas cernitur. Unde Aristoteles lib. I. De *Histor. anim.* cap. viii: « Quibus, ait, frons magna est, sunt segnes, quibus parva, mobiles; quibus lata, mente moveri idonei; quibus rotunda, iracundi. » Eadem pene ad verbum habet Plinius, lib. XI, cap. lii, qui et cap. xxviii, addit: « Frons et alii (animalibus), sed homini tantum tristitia, hilaritatis, clementiae, severitatis index. » Denique spiritus validus subigit sibi cerebrum sub fronte latens, quod est officina omnis pravae cogitationis et concupiscentiae.

31. ET TULIT GLADIUM EJUS, etc., praedicitur caput ejus. — David ergo Goliath suo ipsius gladio peremit. Eo gloriosior fuit ejus victoria; licet enim Goliath lapide ictus corruerit in terram, non tamen illico mortuus occubuit, sed tunc demum, cum David illi caput amputavit. Porro Philo, vel potius Pseudophilo in *Antiq. Biblicis*, narrat vel potius fingit Goliath, cum Davidem suum in se gladium stringentem videret, dixisse: « Festina, et interfice me, et exulta. Et dixit ei David: Antequam mortaris aperiri oculos tuos, et vide interfectorem tuum qui te interfecit; et respiciens Alaphythes vidit angelum, et dixit: Non solus occidisti me, sed qui tecum aderat, ejus species non est sicut species hominis. Et tunc David abstulit caput ejus ab eo. »

Allegorice D. Augustinus, serm. 197 De *Tempore*: « Quod, inquit, David non habens gladium ascendit super Goliath, et eum proprio interfecit gladio, designatum est quod in adventu Christi, suo gladio diaboli victus est, qui per nequitiam suam et injustam persecutionem, quam exercebat in Christum, omnium in eum credentium perdidit principatum. »

Denique unctio Samuelis hic operabatur, hoc enim duello et victoria David stravit sibi viam ad regnum, ad quod a Deo destinatus, et a Samuele unctus erat. Unde S. Hieronymus et alii censent duellum hoc paulo post anctionem contigisse, scilicet unctum fuisse Davidem anno aetatis 20, qui regni Saulis erat octavus, duellum vero hoc inisse anno aetatis 22, qui fuit Saulis decimus.

34. ASSIDENS AUTEM DAVID CAPUT PHILISTEI ATTULIT ILLUD IN JERUSALEM. — Prius illud in castra intulit; deinde per urbes circumtulit, ac tandem in Jerusalem velut regni Israelis caput detulit. Quare merito S. Chrysostomus, homil. De *Davide*, cum Goliath devicit, ei congratulans hoc epinicion cecinit: « Quibus ego te laudibus, quibusque gloriis praeferam, sancte ac religioso puer, qui innocentia pares, virtute fortes, senes merito praeventia; qui potuisti, desistentibus cunctis, immennum bellum vincere, hostem prosternere, inimicum

populi detruncare? Tu enim, deficiente rege, rex ipse et dignitate et merito exististi. In desistentibus fortiter in praelium proisti. Tu, fornidanti populo et Goliath savitiam molienti, dum fortissime geris, victoriam de hoste Dei populo tradidisti. »

ARNA VERO EJUS POSUIT IN TABERNACULO SVO, — sed in domo patris sui Jesse, quae erat in Bethlehém, ac post Saulem rex factus, in regiam suam transtulit. Excipit gladium Goliath; hunc enim David sacravit Deo et in ejus tabernaculo reposuit, ut esset perenne victoriae hujus a Deo acceptae monumentum; inde enim David fugiens Saulem, gladium hunc a Pontifice recepit in urbe Nohe, uti audimus, cap. xxi, vers. 8. Basiliius Seleucianus, orat. 43: « Sectum caput, ait, cum sectore gladio, victoriae parenti donatum offert, et cum quae devicerat, Deo offert, et victoriam arrogat. O qui palam egisti fidem ad pugnam nullis egeris armis! O qui in te ipso palam fecisti fidei vim (1). »

Porro de gladio hoc ait David, Psal. cxliii, 11: « De gladio maligno eripe me. » Nam psalmus hic a Septuaginta inscribitur: *Psalmus contra Goliath*; unde et Chaldaeus vertit, *A gladio Goliath eripe me*. Quare David ante duellum psalmum hunc composuisse, eoque Dei opem implorasse videtur; unde mox a Deo animatus, duellum inivit, vici, triumphavit. Aut potius psalmum hunc, post victoriam, quasi epinicion Deo cecinit. Sic enim oritur: « Benedictus Dominus meus, qui docet manus meas ad praelium, et digitos meos ad bellum. » Simile epinicion David cecinit Ecclesiasticus cap. xlvii, vers. 6 et seq., ubi et causam victoriae assignat dicens: « Nam invocavi Dominum omnipotentem. »

33. DE QUA STIRPE DESCENDIT HIC ADOLESCENS? — Videtur Saul non agnovisse Davidem qui paulo ante fuerat ei familiaris, amo ejus armiger et citharista. Unde hoc? Respondet primo Pseudophilo paulo ante citatus: « Angelus, inquit, Domini crexit faciem David, et memo agnoscebat eum. Et videns Saul David, interrogavit eum quis esset? et non erat qui cognosceret eum. » Sed hoc est fabulosum.

Secundo, Cajetanus et Tornellus respondent inter duellum hoc et citharizationem Davidis multos intercessisse annos, quibus vultus Davidis crescentis ita fuerit immutatus, factusque virilis, ut nec a Saule nec ab Abner fuerit agnitus. Verum contrarium innuit hic series historiae, in qua citharizationi illico duellum hoc subjungitur: unde Salianus asserit inter utramque octodecim menses duntaxat intercessisse.

Tertio, Theodoretus et ex eo Procopius respondent Saulem non agnovisse Davidem, vel quia furibundus cithara ludentem non sentiebat, vel quod invidia stimulante diligenter et accurate

(1) Aliqui Interpretes censent Davidem tantummodo post Jerusalem jam captam caput Goliath attulisse.

cognoscere noluit eum et quisnam esset. Verum nequum audierat Saul voces populi: « Percussit Saul mille, et David decem millia, » quae fuit origo invidia, atque a Davide citharizante curatus cessantibus furis non poterat non eum agnoscere et diligere, uti dictum est cap. praeced. vers. 21.

Quarto, Magister *Hist. Scholast.* respondet Saulem propter exagitationem spiritus maligni factum esse labilis memoriae, ideoque Davidis fuisse oblitum. Idem videtur velle Lyranus. Verum etiamsi hoc non sit improbabile, non tamen omnino satisfactum.

Quinto, dico ergo varias hujus ignorationis in Saule fuisse causas: prima, quod David jam grandescens barba vestebatur, quam prius non habuerat, ait S. Augustinus, adeoque vultu erat jam magis virili quam juvenili; solent enim juvenes, cum ad virilem aetatem accedunt, paucis mensi-

bus valde in vultu mutari. Secunda, quod David jam vestiebatur habitu pastoritio; veniebat enim ab ovibus, cum in aula Saulis veste usus fuisset antea. Tertia, quod reges tot habebant alios et famulos, totque regni negotia, ut multorum obliviscantur. Abner quoque militiae praefectus sapius ab aula aberat et in castris versabatur; unde Davidem vix videre et nosse poterat.

Addunt Lyranus, Dionysius et Vatablus Saulem hic non quaerere quisnam sit David, sed ex qua stirpe et quo patre oriundus, ut sciat an dignus sit cui filiam suam det uxorem, in praemium victoriae casori Goliath a se promissum, vers. 23; ideoque Davidem respondere se esse filium Isai Bethlehemitae, id est, se esse e tribu Juda, quae erat regalis; Jude enim Jacob promiserat regnum, sicut Levi sacerdotium, Gen. xlix. Sed jam sciebat Saul Davidem esse filium Jesse Bethlehemitae; ab eo enim eum sibi mitti poposcerat, cap. xvi, 22.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Davidi ob Goliath caesum populus acrius clamat: Percussit Saul mille, et David decem millia; quare Saul illi invidens, dolensque eum sibi praeferrari, cogitat eum occidere. Primo vibrans in eum lanceam, vers. 11; secundo per Philistaeos in bello cui eum praefecit, vers. 17; tertio, vers. 23, per filiam suam quam ipsi despondit, poscens ab eo pro illa centum praepudia Philistinorum, sperans illum ab eis tandem aliquando occidendum.

1. Et factum est, cum complexset loqui ad Saul, anima Jonathae conglutinata est anime David, et dilexit eum Jonathas quasi animam suam. 2. Tulitque eum Saul in die illa, et non concessit ei ut reverteretur in domum patris sui. 3. Inierunt autem David et Jonathas fedus; diligebat enim eum quasi animam suam. 4. Nam exspoliavit se Jonathas tunica, qua erat indutus, et dedit eam David, et reliqua vestimenta sua usque ad gladium et arcum suum, et usque ad balteum. 5. Egrediebatur quoque David ad omnia quaecumque misisset eum Saul, et prudenter se agebat; posuitque eum Saul super viros belli, et acceptus erat in oculis universi populi, maximeque in conspectu famulorum Saul. 6. Porro cum reverteretur percusso Philistaeo David, egressae sunt mulieres de universis urbibus Israel, cantantes, chorosque ducentes in occursum Saul regis, in tympanis laetitia, et in sistris. 7. Et praecinebant mulieres ludentes, atque fientes: Percussit Saul mille, et David decem millia. 8. Iratus est autem Saul nimis, et displicuit in oculis ejus sermo iste, dixitque: Dederunt David decem millia, et mihi mille dederunt; quid ei superest, nisi solum regnum? 9. Non rectis ergo oculis Saul aspicebat David a die illa, et deinceps. 10. Post diem autem alteram, invasit spiritus Dei malum Saul, et prophetabat in medio domus suae; David autem psallebat manu sua, sicut per singulos dies; tenebatque Saul lanceam, 11. et misit eam, putans quod configurare posset David cum pariete; et declinavit David a facie ejus secundo. 12. Et timuit Saul David, eo quod Dominus esset cum eo, et a se recessisset. 13. Amovit ergo eum Saul a se, et fecit eum tribunum super mille viros; et egrediebatur, et intrabat in conspectu populi. 14. In omnibus quodvis visis suis David prudenter agebat, et Dominus erat cum eo. 15. Vidit itaque Saul quod prudens esset nimis, et cepit cavere eum. 16. Omnis autem Israel et Juda diligebat David:

ipse enim ingrediebatur et egrediebatur ante eos. 17. Dixitque Saul ad David: Ecce filia mea major Merob, ipsam dabo tibi uxorem; tantummodo esto vir fortis, et præliare bella Domini. Saul autem reputabat, dicens: Non sit manus mea in eum, sed sit super eum manus Philistinorum. 18. Ait autem David ad Saul: Quis ego sum, aut quæ est vita mea, aut cognatio patris mei in Israel, ut fiam gener regis? 19. Factum est autem tempus, cum deberet dari Merob filia Saul David, data est Hadrieli Molathite uxor. 20. Dilexit autem David Michol filia Saul altera. Et nuntiatum est Saul, et placuit ei. 21. Dixitque Saul: Dabo eam illi, ut fiat ei in scandalum, et sit super eum manus Philistinorum. Dixitque Saul ad David: In duabus rebus gener meus eris hodie. 22. Et mandavit Saul servis suis: Loquimini ad David clam me, dicientes: Ecce places regi, et omnes servi ejus diligunt te. Nunc ergo esto gener regis. 23. Et locuti sunt servi Saul in auribus David omnia verba hæc. Et ait David: Num parum videtur vobis generum esse regis? ego autem sum vir pauper et tenuis. 24. et renuntiaverunt servi Saul, dicientes: Hujusemodi verba locutus est David. 25. Dixit autem Saul: Sic loquimini ad David: Non habet rex sponsalia necesse, nisi tantum centum præputia Philistinorum, ut fiat ultio de inimicis regis. Porro Saul cogitabat tradere David in manus Philistinorum. 26. Cumque renuntiassent servi ejus David, verba quæ dixerat Saul, placuit sermo in oculis David, ut fieret gener regis. 27. Et post paucos dies surgens David, abiit cum viris qui sub eo erant. Et percussit ex Philistiim ducentos viros, et attulit eorum præputia, et annumeravit ea regi, ut esset gener ejus. Dedit itaque Saul ei Michol filiam suam uxorem. 28. Et vidit Saul, et intellexit quod Dominus esset cum David; Michol autem filia Saul diligebat eum. 29. Et Saul magis cepit timere David; factusque est Saul inimicus David cunctis diebus. 30. Et egressi sunt principes Philistinorum; a principio autem egressionis eorum, prudentius se gerebat David quam omnes servi Saul, et celebre factum est nomen ejus nimis.

1. ANIMA JONATHAE CONGLUTINA EST ANIME DAVID, — q. d. Jonathas intime et tenerrime Davidem dilexit, ita ut videretur anima ipsius glutino affixa, et quasi in unum compacta cum anima Davidis. Amantem enim anima magis est in amato quam in amante, adeoque amantes unam eandemque videntur habere animam, mentem et voluntatem. Tales fuere S. Augustinus et amicus ille ejus, quem non nominat, sed ita describit, lib. IV *Confessionum*, cap. vi: « Mirabar enim cæteros mortales vivere, quia ille, quem quasi non moriturum dilexeram, mortuus erat; et me magis, quia ille alter eram, vivere illo mortuo mirabar. Bene quidam dixit de amico suo dimidium animæ meæ. Nam ego sensi animam meam et animam illius unam fuisse animam in duobus corporibus, et ideo mihi horrore erat vita, quia nolebam dimidium vivere; et ideo forte mori metuebam ne totus ille moreretur, quem multum amaveram. »

Tales quoque fuere S. Basilii et S. Gregorius Nazianzenus. Audi Nazianzenum, orat. 20 *in funere S. Basilii*: « Una utrique anima videbatur duo corpora ferens. Quod si minor fides iis habenda est, qui omnia in omnibus posita esse dicunt: At nobis certe credendum est, quod uterque in altero, et apud alterum positi eramus. »

Causa amoris fuit similitudo morum et amorum. Jonathas enim, æque ac David, erat candidus, probus, bellicosus et triumphans de Philistiis, uti jam triumpharat David de Golia. Quare Jonathas cum Davide fœdus amicitie perpetuæ inivit et juramento (addit Abulensis immolatione quoque victimarum) firmavit. Idque bis renovavit cap. xx et xxiii.

Jonathas ergo valde dissimilis fuit patri suo Sauli; huic enim Davidis virtus et victoria movit invidiam et odium internecinum, Jonathas vero movit summum amorem.

7. PERCUSSIT SAUL MILLE, ET DAVID DECEM MILLIA; — quia David cæso Golia cecidit tota castra Philistinorum, in quibus erant plusquam decem millia; hæc enim videndo cæsum esse Goliath, in quo omne suum robur omnemque victorie spem collocarant, illico fugerunt, ac fugiendo cesa sunt ab Hebræis insequentibus cap. xvii, vers. 52. Porro canticum hoc in proverbium abiit, quo utimur cum duos ab insigni virtute laudamus, sed unum alteri preferimus.

Allegorice S. Augustinus, sermone 197 *De Tempore*, et ex eo Rupertus, lib. II *in lib. Regum*, cap. vi: « David, ait, id est Christus, maledicti hostis (peccati et diaboli) caput amputavit, id est, principatum abstulit, et exinde resurgens ex mortuis in Hierusalem celestem victor ascendit. Hoc au-

ditu excitata per fidem occurrunt animæ nostræ victori publicæ et privatim cantantes et ducentes choros lætitiæ. Quid canimus? quid confitemur? Percussit Saul mille, et David decem millia in millibus suis, id est, universitatem peccati destruxit in suis virtutibus: suis, inquam, quia non aliunde petiit. »

PERCUSSIT SAUL MILLE, ET DAVID DECEM MILLIA. — Sic Aureliano Imperatore, qui suamet manu armatus octo et quadraginta interfecerat, et diversis diebus ultra nongentos et quinquaginta, acclamatus est a pueris die festo salitantibus militariter: « Mille, mille, mille, mille, mille, mille decollavimus; unus homo mille, mille, mille decollavimus, mille, mille, mille, vivat, qui mille, mille occidit: tantum vini habet nemo, quantum fadit sanguinis. » Ita refert Theoclius Cæsareorum temporum scriptor apud Vopiscum in *Aureliano*. Addit Vopiscus: Idem (Aurelianus) apud Maguntiacum tribunus legionis sextæ cum Francos per Galliam vagantes valde afflisset, iterum de eo facta est cantilena: « Mille Francos, mille Sarmatas occidimus: Mille, mille, mille, mille, mille Persas quarimus. » Similis est illa ad Sponsam acclamatio, *Cantic.* iv, 8: « Veni de Libano, sponsa mea, veni: coronaberis de capite Amara, de vertice Sair et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. »

8. HATUS EST AUTEM SAUL NIMIS. — tum populo sic acclamanti, tum Davidi acclamato, in eumque invidiam et odium lethale concepit, præsertim quia videbat populum magis favere Davidi, quam sibi, ac Davidem se meliorem, fortiorem et feliciorum a Deo dirigi; unde coniciebat in illum transferendum esse regnum, quod Samuel sibi abstulerat. Quare ut regnum sibi suisque posteris assureret, omnino statuit occidere Davidem quasi regni sui æmulum; unde ait:

QUID EI SUPEREST NISI SOLEM REGNUM? — q. d. Video Dei gratiam, populi favorem, virtutem et felicitatem bellicam a me transiisse in Davidem: quid superest, nisi ut regnum meum in illum transferatur? Cupido autem regni in regibus est ardentissima; regnum enim est omnis eorum dignitas, gloria, opulenta et felicitas. Qui ergo illud ambat vel auferat, tangit eorum pupillam, imo cor transfigit. Hæc fuit causa odii immanis et perpetui Saulis in Davidem: ideoque pena culpæ sociæ mox eum secuta est. Nam rursum invasit eum spiritus malus, a quo David per citiarum eum liberat.

Verum ab hoc odio retrahere Saulem debuit, ait S. Chrysostomus, homilia *De Davide et Saule*: Primo, quod vera dicebat populus; vere enim David occidendo Goliath percusserat decem millia hostium, et amplius. Secundo, quod partem victoriæ daret Sauli dicendo: « Percussit Saul mille, » cum illa tota deberetur David. Tertio, quod David ab hæc voce populi erat innocens; nec enim eam procurarat, nec seiverat futu-

ram. Quarto, Davidis modestia, qua semper Sauli se obsequentem, subdilem et fidelem in bellis præstitit.

9. NON RECTIS ERGO OCULIS (sed limis, acerbis, torvis, invidis) SAUL ASPICIEBAT DAVID A DIE ILLA ET PRINCEPS.

10. POST DIEM AUTEM ALTERAM INVASIT SPIRITUS DEI MALUS SAUL, ET PROPHETABAT, — eo modo quo energumini, epileptici, furiosi et abrepti dicuntur prophettare et divinare; quia scilicet non loquuntur ex se, sed potius loquuntur per eos mania et furia, scilicet diabolus qui eos corripit et exagitat; et quia tales subinde quedam occulta et abditâ homini (sed dæmoni nota) pandunt et revelant. Ita Theodoretus, Procopius, Abulensis et Auctor *Quæst.* apud S. Hieronymum, qui, *prophetabat*, interpretatur, *aliena referebat*; Chaldeus, *insaniebat*; Vatablus, *desipiebat*, id est, insana et stulta loquebatur, uti faciunt insani et furiosi. Est catachresis: quia enim prophetae saepe videbantur populo insanire, ac delirare et absurda agere vel loqui; hinc et insani ac energumini, qui emoti sunt mentis, ac furis vel demoniis aguntur, cum insana et delirata agunt dicuntque, prophettare dicuntur; imo Turce, epilepticos et lunaticos, ut veros prophetas habent et venerantur, eo quod Mahomet eorum propheta, laborans epilepsia, cum ea correptus fuisset, ut morbum hunc apud suos tegeter, dicebat se corripit tunc a Spiritu divino, ab eoque revelationes accipere et prophettare. « Prophetabat » ergo Saul, id est, furebat, hæc habebat, insana agebat et dicebat. Quin et Plato in *Timeo*, et Plutarchus, libro *De Oraculis*, enthusiastas qui spiritu malo lecti mira dicunt faciuntque, vocant *Prophetas*: ac Cicero, orat. *pro Sextio*, « valde insani et insanire, » dixit. Ita Theodoretus. « Pseudopropheta, » inquit, agitati a malo spiritu sunt similes furorē percitis Corybantibus. Hoc Seneca ait in *Medea*:

Incerta qualis entheos (id est, Dei spiritus instincta) cursus tulit.

Cum jam recepto Mensa insanit Deo.

Et Virgilius lib. VI *Æneid.* de Sibylla *Æneæ*:

Bacchatur vates, inquit, magnum si peccare possit
Excussisse decem, tanto magis ille fatigat,
Os rubrum fera corda domans, fingitque premono.

Porro Philo Bibliicus Saulem hæc de se vere ex spiritu malo prophetasse narrat. « Mansit, inquit, Spiritus in Saul, et prophetavit, dicens: Quid seducris, Spiritus in Saul? aut quem persequeris in vanum? Completum est tempus regni tui. Perge in locum tuum; tu enim morieris, et David regnabit. Nomen tu et filius tuus simul moriemini, et tunc apparet David regnum. » Atque post hæc subjicit: « Et abiit Saul, et nescivit que prophetavit. »

Moraliter, discite hic diabolicum scelus esse invidiam, ac invidiosos possideri ac torqueri a dia-

lib. III
cap. 20

holo, uti configit Sauli. Invidia enim propria est diabolo; unde « invidia diaboli intravit mors in orbem terrarum, » *Sapient.* cap. 11.

DAVID AUTEM PALLERAT MANU SUA, — psalterium aut citharam pulsando, ut malum spiritum a Saule abigeret; sed frustra, quia Saule persistente in sua invidia et odio Davidis, perstitit pariter in eo spiritus malus.

TENEBAŦQUE SAUL LANCEAM, — qua in bellis utebatur, quamque ut regni sui insigne ubique secum circumferbat, vel circumferri curabat, ut alibi regibus preferret gladius.

11. ET MISIT EAM, PUTANS QUOD CONFIGERE POSSET DAVID CUM PARIETE. — Vide hic quam invidia Saulem fecit ingratum, ferum et barbarum in Davidem, cui vitam et regnum debebat ob cæsuum Goliath et ob citharizationem. Audi S. Chrysostomum, homil. *De Davide et Saule*: « Per illum vicit rex ac principatum obtinuit, et quam reposuit gratiam! Nam si quis perpendat præclara gestorum magnitudinem, etiamsi rex a suo capite detractam coronam David capiti imposuisset, nunquam parem retulisset gratiam, sed amplior rem debuisset. Hic enim et vitam et regnum illi donavit; ille vero huic regnum tantum erat cesurus. »

Allegorie, sicut David lancea Saulis, sic Christus in cruce lancea militis fuit appetitus; sed David illegum aufugit; Christus vero ea transfixus ad regnum perrexit. Ita Rupertus, libro II in *lib. Regum* cap. vii: « Nam iste quidem, inquit, in figura patiens, non confixus fugiendo evasit; ille autem cujus passiones prefigurantur, lancea clavisque confixus quidem est, sed resurgendo evasit. »

Septem persequens lancea Davidis.

hic est prima persecutio Saulis contra Davidem, quam multas alias, sed præcipue sex consecuta sunt, quas hoc ordine recenset hic Rupertus, lib. II, cap. vii: « Prima est, inquit, ubi nunc mittente Saul lanceam, ut configeret eum cum pariete, declinavit et fugit. *Secunda*, ubi postquam percussit Philisteos, plaga magna eidem psallentem nisus est Saul configere; et eo declinante, lancea casso vulnere perlata est in parietem. *Tertia*, ubi cum fugisset David, et venisset ad Achis regem Geth, interfecit Saul propter illum sacerdotem Domini. *Quarta*, ubi nuntiaverunt Ziphæi, dicentes: Ecce David latitat apud nos, et surrexit Saul, et persecutus est David in desertum Maon. Cumque desperaret David se posse evadere, nuntius venit ad Saul, dicens: Festina, et veni, quoniam infuderunt se Philistei super terram. *Quinta*, in deserto Engaddi, ubi cum ingressus speluncam fuisset Saul, ut purgaret ventrem, surrexit David, et præcidi oram chlamydis ejus silenter. *Sexta*, ubi iterum nuntiaverunt Ziphæi, dicentes: Ecce David absconditus est in colle Achile, et surrexit David, et descendit in desertum Ziph, ubi cum dormiente illo dixisset Abisai: Concluserit Deus hodie inimicum tuum in manus tuas. Nunc ergo perfoliam quam lancea in terra semel, et secundo opus non erit. Dixit David: Ne interficias eum. Ac deinceps progitus sit mihi Dominus, ne extendam manum meam in Christum Domini. Nunc igitur tolle hastam que est ad caput ejus, et scyphum aque, etc. *Septima*, quæ est ultima, ubi ait David in corde suo: Aliquando incidam in una die in manus Saul. Nonne melius est ut fugiam, et salver in terra Philistinorum, et desperet Saul, cessetque me querere in cunctis finibus Israel? Fugiam ergo manus ejus. Et surrexit David, et abiit ipsa et sexcenti viri cum eo ad Achis filium Mahog regem Geth. »

Prima persecutio recensetur hic; *secunda*, cap. XIX, vers. 10; *tertia*, cap. XXI, vers. 1 et seq.; *quarta*, cap. XXIII, vers. 19; *quinta*, cap. XXIV, vers. 3; *sexta*, cap. XXV, vers. 1; *septima*, cap. XXVII, vers. 1. Porro idem Rupertus, lib. II, cap. 10, ostendit Deum singulas persecuciones in Davidis bonum convertisse, ut ex singulari ipse fortior et gloriosior evaserit, ut patet hic ea que singulas persecuciones consecuta sunt legenti; passionis enim comes et assecla est gloria.

Allegorie vero Rupertus, cap. vii jam dicto, ostendit has septem Davidis persecuciones representasse septem persecuciones, quas Diabolus excitavit contra Christum. *Prima* fuit, cum Herodes eum cum cæteris infantibus in Bethleem thalamo ad necem, *Math.* II. *Secunda*, cum David eitharizans, id est, Christus predicare incipiens in Nazareth civis offendit, qui cum egerunt extracivitatem in montem, ut præcipitarent, *Luce* cap. IV, 29. *Tertia*, cum Judæis commendans esum carnis suæ, ab eis auditus: « Dorus est hic sermo, » ideoque ab eis desertus fuit, *Joan.* VI, 67. *Quarta*, cum Principes miserunt suos ministros, ut eum apprehenderent. At illi eo intacto reverentes dixerunt: « Nunquam locutus est homo sicut hic homo, » *Joan.* VII, 46. *Quinta*, cum Christo dicente: « Antequam Abraham fieret, ego sum, » Judæi tulerunt lapides ut jacerent in eum, *Joan.* VIII, 58. *Sexta*, cum Christo asserente: « Ego et pater unum sumus, » Judæi iterum voluerunt eum ut blasphemum lapidare, *Joan.* X, 30. *Septima*, cum eum ceperunt et crucifixerunt, *Math.* XXVI et XXVII.

ET DECLINAVIT DAVID A FACIE EJUS — lanceæ, ait Rupertus, aut potius Saulis vibrantis lanceam, ait Lyranus, Abulensis, Hugo, Dionysius, Cajetanus et alii. To enim ejus, in Hebræo est masculinum, non femininum, ac proinde Sauli non lanceæ congruit.

13. AMOVIT ERGO EUM SAUL A SE, — tanquam æmulum sibi exosum, ne ejus aspectu doleat. Sauli enim invidio David, quasi regni æmulus et successor, erat dolor oculorum; ac ne David in aula gratiam sibi anticum conciliaret, itaque sensim crescendo se exturbato regnum invaderet.

ET FECIT EUM TRIBUNUM SUPER MILLE VIROS, — creavit eum chiliarchum, quem vulgo jam *cahaliim* vocant; fecit hoc Saul, tum ut onus belandi a se jam fesso, ignavo et spiritu malo agitato in Davidem rejiceret; tum ut eum hostibus occidendum obijceret, ut patet vers. 17.

ET EGREDIATUR ET INTRABAT IN CONSPPECTU POPULI, — g. d. David ubique populo aderat, quasi Dux eum præcedens ad prælium, illoque finito eum vicorem domum reducens. Sapienter Velieus, lib. II *Histor.*: « Ipse (Dux), inquit, primus facit; nam facere recte cives suos princeps optimus faciendū docet; cumque sit imperio maximus, exemplo major est. »

14. IN OMNIBUS QUOCQUE VIBIS SAUL DAVID PRUDENTER AGEBAT, — cavens ne Saulem offenderet, et simul ne in manus hostium incideret, sed ab eis victoriam referret.

ET DOMINUS ERAT CUM EO, — omnes ejus actiones et conatus dirigens, prosperans, et ad felicitatem exitum perduens.

17. ECCE FILIA MEA MAJOR MEROB, IPSAM DABO TIBI UXOREM. — Promisit eam Saul Davidi; sed non præstitit; vel quia fidei promissit, vel quia eum paventit; simul enim ne per filiam regiam uxorem David ad regnum evaderet.

Symbolicam causam dat S. Gregorius, lib. V in *lib. I Reg.* cap. 1: « Quid est, inquit, quod Jacob utranque sororem habere licuit; David autem ad majoris thalamum non pervenit? nisi quia David rex fuit, Jacob vero rex non fuit. Qui ergo regimen animarum suscipit, hunc censura Ecclesiastica gregem deferre, et remota vite otis vacare non sinit. » Merob enim Hebraice idem est quod a *magistro*, ait Pagninus, unde notat vitam contemplativam, cujus magister est Deus et Spiritus Sanctus. Michol idem est quod rivus, vel, *decursus aquarum*; unde notat vitam communem, qualis est activa; utranque egit David, unde contemplans edidit prophetias et psalmos tam divinos; sed ut significaretur reges altos et ordinarios debere potius active vite intendere quam contemplativæ, hinc David Michol obtigit, non Merob.

SAUL ACTUS REPUTABAT DICENS: NON SIT MANUS MEA IN EUM (non occidam Davidem manu mea, ne infamiam et indignationem populi mihi conflam; populo enim David erat charissimus), SED SIT SUPER EUM MANUS PHILISTINORUM, — ut assidue eum eis præliando tandem aliquando ab eis occidatur, uti optimi Duces et milites pereunt pugnando in bello, sicut nautæ et natatores in aqua natando.

Vide hic malignitatem et calliditatem invidie Saulis, qui semper in pejora dilabatur; per inobedientiam enim cecidit in tristitiam, per tristitiam in invidiam, per invidiam in odium implacabile Davidis, quo usque ad mortem vite ejus perpetuo insidiatus est, eumque miris modis afflicto. Per odium hoc incidit in Dei derelictio-

nem et desperationem, inde in magiam, consulens diabolum per Pythonissam; inde in sui ipsius homicidium, ut eadem manu qua voluerat occidere Davidem, occideret seipsum.

Nimirum agebat eum suis furis spiritus malus, sed ita ut post agitationis et furoris paroxysmos, Saulem sibi sæpè invidias et libero arbitrio relinquere; ad hoc ut liberius, ideoque gravius peccaret. Poete, ut idipsam pulchro clarioque schemate hominibus representent, fingunt Furias esse Deas infernales invidias et scelerum ultrices, quæ assidue sceleratos insectentur et crucient: unde aiunt eas esse filias Acherontis et noctis; ut pote que secum omnia mala cum cæcitate adducant. Dicunt illas esse tres, scilicet Alecto, Megaram et Tisiphonem. Audi Claudinum, lib. I in *Ruffinum*:

Invidie quondam stimulis incanduit atrox
Alecto pœnitas late cum venere urbes;
Protinus inferas ad limina læta sorores,
Concilium deforme vocat: gemonitur in unum
Innumera peste Erebi, liveque seminis
Anxius, et scisso moerens velamine lactus,
Et timor, et cæco præcepit Audacia vultu.

Vide hic ut David continua et implacabilis Saulis invidia fuerit exagitat, et assidue ad necem destinatus; idque duravit toto reliquo vite Saulis tempore, puta per integros octo annos; tot enim sunt a decimo Saulis anno, quoad Goliath superavit, usque ad annum Saulis 48, quo ipse in prælio misero occubuit.

Quæres, cur hoc permisit Deus? Respondeo, ut Davidis patientiam et virtutem exerceret, aceret, solidaret, perficeret, itaque eum ad regnum disponeret. Audi Basilium Seleucianum, *orat.* 15: « Ne tibi paradoxum videatur, si David, tantæ enim esset gratie deoque in deliciis, invidiæ jaculis fuerit expositus. Nam cum invidiam perimere Deus potuisset, invidente perempto, sentiendum non est nullam justæ rationem, nullam Davidis curam Deum habuisse. Sic enim et Nabal sustulit Deus, Davidi gratificaturus, dum ejus injurias morte vindicavit. Sic ab Absalone commote mentis in patrem penas exegit Deus; Davidem tamen Saulis moribus oblectari permittit Deus, ut athleta ope divina invidiæ victor evadat. Ut infirmos Deus non permittit invidiæ, sic fortes et strennos vocat in stadium, quo possint de invidia ipsa triumphare. Auferi iniliterum ab invidiorum rabie, ad fortissimos eo deducti, ubi invidiæ victores evadant. Hinc Jacob extollit prestantiam Josephi cap. XLIX. Filius acrescens Joseph, filius acrescens et decorus aspectu: filie discurrebant super murum; sed exasperaverunt eum, et jurgati sunt, invideruntque illi habentes jacula. Sedit arcus ejus, » etc.

Simili modo Deus exercuit, promovit et perfecit Jacobum per Esau, Moysen per Pharaonem, Isaiam per Manassem, Machabeos per Antiochum, S. Athanasium per Constantium, S. Chrysostomum

num per Eudoxiam, S. Ambrosium per Justinam Inveneratrem.

Vers. 13. **18. AUT AUTEM DAVID: QUIS EGO SUM, AUT QUAE EST VITA MEA (quid in vita praeclare gessi) etc., UT FILIAM GENER REGIS? —** Mira hic elucet humilitas Davidis, utpote qui iam rejecto Saule unctus in regem, Goliath prostraverat, cratque dux praetorum, assidue triumphans de Philisteis, ac tamen indignum se aestimat matrimonio filiae Saulis, ut ejus fiat gener. Nimirum certat ipse sua humilitate cum fastu et invidia Saulis, ut illam frangat et superet, ac praesertim ut illi extundet istum aculeum populi acclamantis: « Percussit Saul mille, et David decem millia, » *g. d.* Sauli: Mi domine rex, non est quod te haec vox moveat vulgi imprudentis, adeo enim me non movet nec extollit, ut ego me minimum servorum tuorum aestimem, et indignum qui fiam tuus gener. Audi S. Chrysostomum, *humil.* in haec Davidis verba: *Quis ego sum?* « Quis sum ego, domine mi, quod talem gratiam invenerim ante faciem tuam? Ego enim minimus fui in tribu mea, et elegisti me ex ovibus, et assumpsisti me. Videte quomodo subjanxil humilitati innocentiam, ut cum esset homo, diceret: elegisti me ex ovibus. Demonstravit quia hoc genus pecudis innocens est: significabat enim illum pastorem bonum, qui animam suam ponit pro ovibus suis; illum agnum Dei qui venturus erat, ut tolleret peccatum mundi. Electus ergo ex ovibus ut pastorem ostenderet, et innocentiam non negaret, dicit: Ego enim minimus fui in tribu mea. Quam suave est, quam dulce in auditione vera confessionis, ut diceret se minimum in tribu sua; non erubuit quod erat, ut esset quod non erat. Confessio ejus adduxit in non peccatum, sed gloriam et misericordiam. » Subdit deinde Davidem hic gessisse typum Christi: « Quod dixit: Minimus fui in tribu mea, significabat perfectam Domini humilitatem in mundum venientis, qui formam non fugavit, sed servi assumere voluit. Quid humilior servo? Tamen hoc Dominus esse dignatus est, ut ex servis liberus faceret, ut servitus ipsius nobis ingenuitatem donaret. Hoc significabat quod dixit: Minimus fui in tribu mea. Eia, nunc erigite mentes genus electum, et nolite esse pigri, neque superbi. »

21. DIXITQUE SAUL AD DAVID: IN DUABUS REBUS GENER MEUS ERIS HODIE. — Hebraea et Septuaginta habent, *in duabus*; unde Hebraei subaudiunt, *uoxibus, g. d.* Duas filias meas tibi addixi, itaque duplici titulo eris meus gener. Nam Merob seniori filiam meam tibi despondi (esto ob casum occurrentem illa postea tradita sit alteri), ac Michol juniorem nunc tibi despondeo et trado. Paginnus vero sic explicat, *in duabus*, id est in una duarum, scilicet in Michol eris meus gener. Sic et Hugo, Dionysius, Vatablus et alii.

Verum Noster aptius *in duabus* interpretatur, *rebus*; nam Hebraei genus femininum usurpant pro neutro quo caret. *In duabus*, hoc est in du-

bus, puta in duobus punctis, sive in duabus conditionibus et rebus. Duae haec res sunt: prior, caedes Goliath; illum enim occidenti filiam suam promiserat Saul, cap. xvii, vers. 23; posterior, centum praepudia Philistinorum, quae nunc exogit Saul, ut patet vers. 25. Ita Angelomus, Sanchez et alii. Sic ait Psaltes: « Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini. » *Unam* hoc est unum, sive unam rem.

Aliter Auctor *Quaest.* apud S. Hieronymum, Rupertus, Hugo, Glossa, Abulensis, Dionysius et alii: « Duae res, inquit, sunt ducenta praepudia Philistinorum; » haec enim numeravit David Sauli, vers. 27. Quare cum Saul pro Michol tantum exegerit centum praepudia, videtur pariter pro Merob priore exegisse centum, quasi dicat Saul: Praestitisti mihi, o David, centum praepudia pro Merob; presta mihi alia centum, et dabo tibi Michol; sic Laban pro septem annis servitutis Jacobi substituitur Liam, voluit ut alios septem annos sibi serviret pro Rachel, *Genes.* cap. xix, 20 et 27.

Porro olim mariti coehebant uxores, dando pro eis pretium aut dotem vel dona sponsalia, ut ostendi *Enochii* cap. iv, 26. Sic Saul ait hic Davidi: Non est quod sollicitus sis de dote et pretio, quo Michol uxorem emas; ista enim, cum sit filia regis, magno pretio aestimanda foret. Nam ego, cum sim rex opulentius, a te paupere pretium non requiro.

25. NON HABET REX SPONSALIA NECESSE. — *Sponsalia* vocat dotem, sive pretium sponsae jam dictum, ut patet ex Hebraeo.

NISI TANTUM CENTUM PRAEPUTIA PHILISTINORUM. — Cur Saul potius petiit praepudia, quam capita Philistinorum? Respondeo, na David offerret epita Hebraeorum, fingens illa esse capita Philistinorum; nam praepudia Hebraei in circumcissione deposuerant: quare si David Sauli praepudia offerret, certum erat illa non esse Hebraeorum, utpote quibus illa resecta et circumcisa erant, sed Philistinorum. Ita Theodoretus et Procopius. Adde capita tot asportare fuisse valde difficile, ac regi ea offerre fuisset spectaculum horridum et crudele.

Porro insidiosum fuisse haec nuptiae, et haec conditio. Ideo enim praepudia haec centum petiit Saul, ut David cum centum Philisteis confilgens, ab aliquo eorum occideretur. Ita S. Chrysostomus *humil.* *De Davide et Saule*; S. Augustinus in *Psalmum xxxiii*; S. Ambrosius, *serm.* 18 in *Psal. cxviii*. Rursus Saul dedit suam Michol Davidi, ut illa Davidem vel perderet, vel sibi proderet. Sed Deus David favens utrumque discussit, et in Davidis bonam gloriamque convertit. Nam et David occidit ducentos Philisteos magna fortitudine et gloria, ac Michol magis Davidem quam Saulem dilexit, eumque Saulis manibus eripuit, ut audiemus capite sequenti.

27. ET PERCUSIT (occidit) EX PHILISTIN DUCENTOS VIROS, — ut eorum ducenta praepudia offerret

Sauli. Saul tantum petebat centum: David vero obtulit ducenta, ut liberalitatem et generositatem suam Saul ostendat.

30. ET EGRESSI SUNT PRINCIPES PHILISTINORUM, — ad praellandum contra Hebraeos. Sed cur egressi? Respondeo, ex antiquo et innato in Hebraeos dissidio et odio: illud enim ad continua eos bella excitabat. Adde recentem odii bellique novi causam existisse, quod ignominiam in caede Goliath contractam, restauratis viribus et copiis delere voluerint. Recentior causa fuit, quod David ducentos eorum occidisset, et praepudia eorum Sauli obtulisset: quod ingens aestimabant ipsi suum esse probrum et ludibrium. Aliam causam dant Rabbini, scilicet quod David, utpote novus sponsus, primo anno nuptiarum absenturus esset bello, ac uxori et familiae vacaturus: ac proinde

putabant Philistaei jam tempus esse invadendi Hebraeos, utpote quiescentes Davide, quem saulum timebant. Sic enim sancit Deus, *Deuteronom.* cap. xxiv, vers. 3: « Cum acciperit homo nuper uxorem, non procedet ad bellum, nec ei quippiam necessitatis injungetur publice: sed vacabit absque culpa domi suae, ut uno anno letetur cum uxore sua. » Verum haec lex non vetat novum sponsum ire ad bellum, sed tantum jubet ne quis eum ad bellum, aliunde onus publicum cogat; hoc enim significat *injungetur*. Quare timere poterant Philistaei, si arma moverent, illico Davidem utpote chiliarcham generosum eis occursurum, uti de facto eis occurrit, ut hic dicitur: sed ipsi martem solum cum Hebraeis tentare voluerunt, sperantes se Davidem tandem aliquando superaturos.

CAPUT DECIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Primo, Jonathas Davidem Sauli reconciliat. Secundo, vers. 8, David occidit Philisteos; unde Saul invidia et spiritu malo agilitus lancea conatur eum confingere, sed ictum declinans evasit David. Tertio, vers. 11, Saul mittit satellites qui Davidem domi captiant ad eadem; sed Michol uxor Davidem monet, et dimittit positum in lecto ejus simulacro. Quarto, vers. 18, David fugit ad Samuelem; mox mittit Saul satellites suos eodem, qui omnes cum Samuele prophetant, ac tandem ipse quoque Saul suos sequens, cum Samuele ejusque sociis prophetat; unde proverbium: Num et Saul inter Prophetas?

1. Locutus est autem Saul ad Jonatham filium suum, et ad omnes servos suos, ut occiderent David. Porro Jonathas filius Saul diligebat David valde. 2. Et indicavit Jonathas David, dicens: Quare Saul pater meus occidere te; quapropter observa te, quaso, mane, et manebis clam, et absconderis. 3. Ego autem egrediens s'abo juxta patrem meum, in agro ubique fueris; et ego loquar de te ad patrem meum; et quodcumque videro, nuntiabo tibi. 4. Locutus est ergo Jonathas de David bona ad Saul patrem suum, dixitque ad eum: Ne pecces, rex, in servum tuum David; quia non peccavit tibi, et opera ejus bona sunt tibi valde. 5. Et posuit animam suam in manu sua, et percussit Philistaeum, et fecit Dominus salutem magnam universo Israeli; vidisti, et lactatus es. Quare ergo peccas in sanguine innoxio, interficiens David, qui est absque culpa? 6. Quod cum audisset Saul, placatus voce Jonathae, juravit: Vivit Dominus, quia non occidetur. 7. Vocavit itaque Jonathas David, et indicavit ei omnia verba haec, et introduxit Jonathas David ad Saul, et fuit ante eum, sicut fuerat heri et nudius tertius. 8. Motum est autem rursus bellum; et egressus David, pugnavit adversum Philistinum, percussitque eos plaga magna, et fugerunt a facie ejus. 9. Et factus est spiritus Domini malus in Saul; sedebat autem in domo sua, et tenebat lanceam, porro David psallebat manu sua. 10. Nisusque est Saul confingere David lancea in pariete, et declinavit David a facie Saul; lancea autem casso vulnere perlata est in parietem, et David fugit, et salvatus est nocte illa. 11. Misit ergo Saul satellites suos in domum David, ut custodirent eum, et interficeretur mane. Quod cum annuntiasset David Michol uxori sua, dicens: Nisi salvaveris te nocte hac, cras morieris; 12. deposuit eum per fenestram. Porro ille abiit et aufugit, atque salvatus est. 13. Tulit autem Michol statuam, et posuit eam super lectum, et pellem pilosam

caprarum posuit ad caput ejus, et operuit eam vestimentis. 14. Misit autem Saul apparitores, qui raperent David, et responsum est quod ægrotaret. 15. Rursumque misit Saul nuntios ut viderent David, dicens: Afferte eum ad me in lecto, ut occidatur. 16. Cumque venissent nuntii, inventum est simulacrum super lectum, et pellis caprarum ad caput ejus. 17. Dixitque Saul ad Michol: Quare sic illusisti mihi, et demisisti inimicum meum ut fugeret? Et respondit Michol ad Saul: Quia ipse locutus est mihi: Dimitte me, alioquin interficiam te. 18. David autem fugiens salvatus est, et venit ad Samuel in Ramatha, et nuntiavit ei omnia quæ fecerat sibi Saul; et abierunt ipse et Samuel, et morati sunt in Najoth. 19. Nuntiatum est autem Sauli a dicentibus: Ecce David in Najoth in Ramatha. 20. Misit ergo Saul virores, ut raperent David; qui eum vidissent cuneum prophetarum vaticinantium, et Samuelem stantem super eos, factus est etiam spiritus Domini in illis, et prophetare cœperunt etiam ipsi. 21. Quod cum nuntiatum esset Sauli, misit et alios nuntios: prophetaverunt autem et illi. Et rursum misit Saul tertios nuntios, qui et ipsi prophetaverunt. Et iratus iracundia Saul, 22. abiit etiam ipse in Ramatha, et venit usque ad cisternam magnam, quæ est in Socho, et interrogavit, et dixit: In quo loco sunt Samuel et David? Dictumque est ei: Ecce in Najoth sunt in Ramatha. 23. Et abiit in Najoth in Ramatha, et factus est etiam super eum Spiritus Domini, et ambulabat ingrediens, et prophetabat usque dum veniret in Najoth in Ramatha. 24. Et expoliavit etiam ipse se vestimentis suis, et prophetavit cum cæteris coram Samuele, et cecidit nudus tota die illa et nocte. Unde et exivit proverbium: « Num et Saul inter Prophetas? »

1. LOCUTUS EST AUTEM SAUL AD JONATHAN FILIUM SUUM, ET AD OMNES SERVOS SUOS, UT OCCIDERENT DAVID. — Crescente virtute et victoriis Davidis, crescit in eum invidia et odium Saulis. Virtutis enim omnes invidiam. Quare quem per se non potuit confingere, eum per filium Jonatham et servos suos fidissimos, ait Josephus, occidit jubet. Sed omnia superavit Dei providentia protegens Davidem, ac invicta Davidis patientia et prudentia, quæ eum omnibus superioribus, indeque tubique gloriosorem effecit. Nam Jonathas magis dilexit Davidem quam patris impium mandatum: ino Sauli mandanti restitit, eique sua efficaci eloquentia Davidis odium eximens, illud in amorem convertit.

5. ET POSUIT ANIMAM SUAM IN MANU SUA. — hoc est, exposuit se suamque vitam evidenti mortis periculo pro te tuoque regno, dum duellum tam impar et formidabile cum gigante Golia inicit. Tunc enim Hebræis videbatur David animam, id est, vitam suam in manu gestare, eamque offerre Golia ut eam auferret.

QUARE ERGO PECCAS IN SANGUINE INNOKII? q. d. CUR peccare proponis? cur destinas et decernis effundere innocuum, imo adeo tibi beneficium sanguinem Davidis; ÷ ergo peccas, significat actum destinatum et inchoatum, sed necdum perfectum.

6. QUOD CUM AUDDISSET SAUL, PLACATUS VOCE JONATHANIS JURAVIT: VIVIT DOMINUS, QUIA NON OCCIDETUR. — Vide hic quam efficax fuerit sermo Jonathas, æque ac patientia, modestia, oratio et virtus Davidis, quæ tam immane odium Sauli excussit, illudque in amorem transtulit. Hæc est Christi

et Sanctorum illustris victoria, qua vincendo in bono malum, adversarios vincunt, non eos occidendo, sed ex inimicis amicos efficiendo; quod longe difficilius, gloriosius et divinius est. Occiditur enim in homine vivo odium et inimicitia, fitque ut in eo vivat amicitia et charitas. Et hoc satagebat peragere David, scilicet non tam ut ipse eodem Saulis evaderet, quam ut Saulem suæ menti, rationi, amoris pristino et gratiæ Dei restitueret. Quare David fuit hic typus et præcursor Christi: sicut enim David maleficia Saulis ultus est per beneficia, ideoque eadem sua tolerantia et beneficentia superavit, et in sui amorem convertit; sic et Christus cum Pharisæorum et Judæorum odii certavit incensa sua charitate, ut eum crescerent odia, crescerent pariter ejus miracula, curationes et beneficia: quare odiis hisce eorum et persecutionibus se vinci non permisit; sed ipse illa divina sua patientia et charitate absorpsit, sustulit, et in se sui amore convertit. Hic est apex virtutis et charitatis Christi: quem ipse sancto Stephano, sancto Paulo aliisque Sanctis illustribus inspiravit. Unde S. Chrysostomus, homil. *De Davide et Saule*, adducens exemplum medici, qui pro ægroto contra ægritudinem pugnat, ideoque phrenetico etiam eum convicianti et verberanti non irascitur, sed condolens satagit ut ei phrenesim eximat, ita concludit: « Tu quoque igitur medicus esto ei, qui te læsit; unum hoc quære, quo pacto illi morbum adimas. Id quod fecit hic beatus, egestatem præ divitiis, solitudinem præ patria, labores periculaque præ deliciis ac securitate, perpetuum exitum præ terrarum orbe elegit, ut Saulem ab illo

in ipsum odio malevolentiaque liberaret. At ne sic quidem melior factus est Saul, sed persequeretur, sed ubique circumibat quærens eum, qui non solum nihil læsarat, sed eum esset læsus, tum maxima, tum innumerabilia pro injuriis bona rependerat. Ac Saul imprudens post incidit in retia Davidis. »

8. PERCUSITQUE EOS PLAGA MAGNA. — Vide ut Deus Davidis patientiam nova de Philistinis victoria remuneret: sed hæc novam Sauli concitavit invidiam; unde sequitur:

9. ET FACTUS EST SPIRITUS DOMINI MALUS IN SAUL, — q. d. Deus inmisit, vel permisit demonem invadere Saulem, ut ejus invidiam cruciando castigaret.

10. NISUSQUE EST SAUL CONFIGERE DAVID LANCEA. — Conatus est lancea transfigere Davidem. Vide quam varium et inconstans sit cor hominis, præsertim impij et invidi, qualis erat Saul; hoc enim cum felle rancoris et odii plane sit imbutum, evaporante ad felleas suas iras, invidias et notas inolitias revertitur.

11. MISIT ERGO SAUL SATELLITES SUOS IN DOMUM DAVID, UT CUSTODIRENT EUM (nocte ne per tenebras laberetur), ET INTERFICERETUR MANE; — ut scilicet mane Davidem domo sua egredientem comprehenderent, et ad Saulem adducerent, ac contra eo ipsum occiderent, ut Saul certo videns occisum Davidem, eum amplius non timeret, quod regnum sibi auferret. Addit Josephus, lib. V, cap. XIV, et cum secutus Abulensis, *Quest. XI et XII*, Saulum constituisse judices, qui Davidem mane ad judicium evocatum capite damnarent: ut scilicet videretur non ex privato Saulis odio, sed justa judicium sententia damnatus et occisus: idque satis S. Scripture et rationi videtur consonum. Verum prior expositio planior et facilior est.

12. DEPOSITIT EUM PER FENESTRAM. — Quia satellites Saulis custodiebant ostia, ut Davidem comprehenderent et necarent: hinc Michol eum per fenestram dimisit. Sic S. Paulus Damasci ab Areta obsessus, per sportam e muro dimissus evasit, II *Corinth.*, cap. XI. Nota hic fidelitatem, prudentiam et amorem Michol in Davidem maritum. Nam primo, insidias patris ei detexit; secundo, consilium prudens dedit ut noctu aufugeret ne mane occideretur; tertio, operam addidit demittens eum per fenestram; quarto, ejus simulacrum posuit in lecto, de quo mox.

13. TULIT AUTEM MICHOI STATUAM, ET POSUIT EAM SUPER LECTUM, ET PELLEI PILOSAM CAPRARUM POSUIT AD CAPUT EJUS, ET OPERUIT EAM VESTIMENTIS. — Fecit hoc Michol eo fine, ut David haberet spatium fugiendi et evadendi. Simulavit enim Davidem ægrotare et jacere in lecto, ideoque non fugisse. Si enim satellites scivissent eum fugisse, illico fugientem persecuti fuissent et comprehendissent. Dum autem putant eum domi in lecto jacere,

tempus commodum ad eum honeste, modeste, sine strepitu et inopinate comprehendendum, cum scilicet David domo egrederetur, exspectant. Dixit ergo eis Michol Davidem jacere in lecto et ægrotare; hoc enim representabat statum Davidis ab ea in lecto collocata, quam ipsi in cubiculo obscuro eminus intuentes, non statuum, sed videm ipsum esse putarunt. Interim Saul misit novos apparitores ad Davidem capiendum, quibus idipsum dixit Michol, scilicet Davidem ægrotare. Quare illi idipsum Sauli renuntiavit: atque in hoc ita et reditu, item in deliberatione et consiliis multum temporis insumptum est, quo Davidi fugere licuit.

Pro statuam, Hebræis est תרפומ theraphim, quod Abulensis vertit, *signum informe rotundum*; alii vertunt, *idolum*, vel *araulam*; alii, *astrolobium* ad oculi influxum recipiendum compositum; sed certum est theraphim significare statuam, ut vertit Noster, scilicet effigiem hominis, puta Davidis, ut censet Theodoretus, Procopius. Vide quæ de theraphim dixi *Osee* cap. in, 4, *Judic.* cap. XVII, 4 et 17. Septuaginta vertunt *σοφεία*, id est *sepultura inania*. « Quomodo enim, ut ait Theodoretus, inane sepulcrum videtur quidem habere mortuum, sed non habet; ita etiam quod per vestes erat compositum, videbatur quidem esse David agens animam, sed non erat. »

Pro Hebræo כביר *kebir*, id est *pellem pilosam*, Josephus, Procopius, Theodoretus et alii multi legentes כבד *caler*, vertunt, *hepar caprarum*, quod occisa capra adhuc palpitate et se motitare solet, ut Theodoretus et Procopius, ut videretur non esse statua, sed verus vivasque homo, puta David respiciens; quasi ille videretur ægrotare sub stragulis, ibique trahere et agere animam.

Noster cum Septuaginta et Chaldæo melius vertit, *pellem pilosam*; hanc enim posuit Michol, ut per hosce pilos rufos (in Galaadite enim, quæ vicina est Jerosolyma, oves et capræ sunt rufi et fulvi coloris, ut dixi *Cantic.* cap. IV, vers. 4), Davidis capillos rufos representaret. Ita Theodoretus et Abulensis. Aut certe ut molli hæc pelle ægroti Davidis capitis confolvere videretur: unde Vatablus vertit, *cervical*, vel *pulvinar ex pellibus caprarum*. Audi S. Hieronymum, *epist.* 103 ad *Marcel.*: « Venerunt nuntii, et ecce σοφεία, in lecto, pro cenotaphiis in Hebræo theraphim, id est σοφεία (juxta Aquilæ interpretationem), posita sunt, et non secur caprarum, ut nostri Codices habent, sed pulvillus de caprarum pelle consutus qui, intonsis pilis, caput involuti in lectulo hominis mentiretur. »

14. MISIT AUTEM SAUL APPARITORES QUI RAPERENT DAVID. — Saul videtur jussisse custodibus, ut Davidem noctu domi suæ custodirent, mane vero domo egredientem comprehenderent et ad se deducerent occidendum. Verum videns custodes tardare, eo quod, ut ipse putabat, David domi se contineret, nec egrederetur, moræ impatientis

quinesque ne David elaberetur, aut (ut suspicax est invidia) ne custodes muneris vel promissis corrumperet, novos misit apparitores, qui domum Davidis invaderent, indeque Davidem violenta manu ad se abriperent; quod si resisteret, occiderent.

Porro David in hisce angustiis constitutus composuit reatitque psalmum LVIII: «Eripe me de inimicis meis, Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me.» Id patet ex ejus inscriptione, quæ sic habet in versione S. Hieronymi: «Victori, ut non desperat David humilem et simplicem, quando misit Saul ut custodirent domum, ut occiderent eum.» Orando ergo et psallendo dei opem invocavit: qui proinde Saulis consilia discussit, et Davidem salvavit. Idem faciamus nos in periculis et erumnis, atque simile Dei auxilium experiemur.

ET RESPONSUM EST (a Michol vel ejus ancillis et famulis) QUOD DAVID EGROTARET. — Ac simul Michol apparitoribus Saulis non credentibus vel dubitantibus, eminus simulacrum Davidis in obscuro angulo lectoque decumbens ostendit, quod illi ipsum Davidem esse rati, rem totam ad Saulem detulerunt. Mentitur hic Michol, sed putabat in tali casu ad salvandam Davidis mariti sui vitam, non tantum licitum, sed et honestum, imo necessarium esse mendacium, uti putarunt obstetrices Egyptiæ, *Exodi* 1, et Raab, *Josue* 2, aliique permulti etiamnum putant: qua in re errant.

Audi Josephum, libro VI, cap. XIV: «Parato lecto tanquam egrotanti, stragulis jecur capræ recens exemptum subiecit, diluculoque venientibus, quos pater ad Davidem miserat, ostendit lectum opertum, et quod palpitatione jecoris stragula moveri viderent, maritum ægrum anhelare persuasit, addens totam noctem inquietam eum egisse.» Sed hepar hoc capræ superius ex S. Hieronymo reject.

18. ECCE DAVID IN NAJOTH IN RAMATHA. — «Najoth,» ait Adrichomius, locus est in urbe (juxta urbem) Ramatha sive Rama, tribus Benjamin, sex milliaribus distans ab Jerusalem versus Bethel, ubi David et Samuel manserunt, ac Saul prophetauit. Chaldaeus pro *Najoth* vertit, *domus doctrinæ*. Hic enim erat *eclesia*, ut aiunt Septuaginta et Josephus, hoc est certus et collegium Prophetarum, id est, virorum religiosorum Deo vacantium.

20. QUI CUM VIDISSENT CUNEM PROPHETARUM VATICINANTUM, — id est, laudantium Deum solitis hymnis et psalmis. *Prophetae* enim subinde est quod laudare et psallere. Sic I *Paral.* cap. XXV, 1, David constituisse dicitur Asaph et Hemam, qui «prophetarent (id est psallerent) in citharis et psalteris.» Simile habetur II *Paral.* XXXV, 13; vide quoque de his Prophetis dixi cap. X.

ET SAMUELEM STANTEM SUPER EOS, — q. d. Samuel presidebat eis quasi eorum præcentor et choragus. Dicitur: Quomodo ergo dictum est cap. XI,

vers. ultim., quod Samuel ultra non viderit Saulem usque ad diem mortis suæ? Respondent Hebraei apud S. Hieronymum, Samuelem veniente Saule se abscondisse, aut certe Samuelem non vidisse Saulem in habitu regio, ut ante viderat. Saul enim hic prophetans eo se nudaverat. Sed planius dicimus Samuelem non vidisse, id est invisisse Saulem, uti dixi cap. XV.

FACTUS EST ETIAM SPIRITUS DOMINI IN ILLIS, ET PROPHETARE (psallere) COOPERUNT ETIAM IPSI. — Spiritus hic Dei dictavit eis hymnos quos canerent, puta eosdem quos canebat Samuel cum suis, et simul indidit eis affectum canendi, ac modulus vocis ad scite canendum. Fecit hoc Deus in gratiam Davidis, ut eis haberet tempus effugiendi.

Moraliter, discite hic quantum valeat bonorum societas, æque ac Sanctorum virtus et merita. Nam hi nebulones vel ministri impii Saulis inter prophetas facti sunt prophetae, Deumque laudantur quasi Samuel et David eis suum spiritum afflasset.

24. ET EXPOLIATIVI ETIAM IPSE SE VESTIMENTA SUAS, — ita ut esset omnino nudus, aiunt nonnulli. honestus Angelomus, Lyranus et Abulensis censent Saulem nudasse se exterioribus duntaxat vestimentis regis, non vero intimis, quia spiritus Dei non admittit pudorem, ait Vatablus, ut libere dei laudes deprædicentur: imo spiritus Dei ita Saulem extra se rapuit, ut nesciret quid ageret, ait Aben-Ezra. Addit Lyranus: Saul, inquit, vestem regiam deposuit, et pro ea vestem religiosam seu divinis laudibus accommodatam, qualem habebat Samuel et Prophetae, induit: uti faciunt subinde principes, qui S. Francisci habitum, pietatis ergo assumunt (1).

ET CECIDIT (ita lege cum Romana, Septuaginta: non cecidit, ut legunt nonnulli) NUDUS (eo modo quo jam dixi) TOTA DIE ILLA ET NOCTE, — ut David haberet tempus sufficiens ad fugiendum. Vide hic quam miram Deus Davidis sui habuerit providentiam, et quam miris modis eum servavit; hoc merebatur Davidis patientia, confidentia, sanctitas. «Cecidit» ergo Saul, quia viribus et sensibus destitutus erat, ait Abulensis, Aben-Ezra et Vatablus; vel potius, quia Deum, prosternens in terram, cum ceteris prophetis adorabat, I *Cor.* XIV. Ita Serarius.

NUM ET SAUL INTER PROPHETAS? — Idem de Saule dictum audivimus, cap. X, sed ibi novitas, hic autem contrarietas fuit ratio et causa proverbii. Mirabantur enim omnes Saulem Davidi prophetam tam infestum invidumque subito ita mutatum, ut inter socios ejus prophetaret et ipse, psallereque.

Addit Auctor *mirabilem* S. *Scripturæ* apud S. Augustinum, lib. II, cap. X, Saulem stricto areo (1) Hæc locutio *nudus* pro semper admittit latiori sensu tam in sacris quam in profanis scriptoribus: sic Virgilius de aratore, *Georg.* 1; sic Titus Livius de Quinto Cincinnato, lib. III, cap. XXVI.

famulos suos insecutum. Porro S. Augustinus in *Psal.* ciii, ex hoc loco docet etiam improbis Christi ad necem, prophetauit oportere eum mori pro populo, *Joan.* XI, 30.

Moraliter, vide et mirare hic Dei in impiis etiam obstinatos potentiam, æque ac clementiam et beneficentiam; utpote qua eorum cor ita immutat et elevat, ut prophetent; itaque eos immutat, ut ad se per penitentiam redeant; sed illi in sua pervicacia se obdurantes, cum Dei clementia sua duritie pugnant et certant. Sic enim fecit hic in Saule. Simile et longe amplius fecit in Saulo; dum eum adhuc «spirantem minarum et cædis in discipulis Domini,» in ipso persecutionis itinere et fervore, celesti luce et voce sid-rans illico immutavit, ex Saulo Paulum, ex persecutore Apostolum, ex Phariseo Doctorem Gentium effecti, *Act.* IX, ut de eo, æque ac Saule dicitur: «Num et Saulus inter Prophetas,» imo inter Apostolos? Hæc mutatio dexterae Excelsi; sed major in Saulo, quam in Saule. Nam in Saule mansit cor pravam, invidia et odio Davidis occæcatum cum prophetia; in Saulo vero cor ferreum, odio Christi et Christianorum a sensum, illo a Deo per miraculum exemplo factum est cor sanctum, celeste et divinum, inimitabile Christi et Christianorum amore astans et flagrans.

CAPUT VIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David, cum Jonatha de iniquo patris in se odio expositus, cum eo factus inibat certis pactis renovat et confirmat; quare Jonathas, vers. 18, promittit ei se patris erga eum animam exploraturum, ac per sagittas ejus anorem vel odium significaturum. Ergo, vers. 27, Davidem apud patrem excusat; sed pater in eum exardescens lanceam parat; unde, vers. 36, Jonathas ex conducto odium implacabile patris per sagittas Davidi significat, ac mox eum lacrymis emplexans in pace dimittit.

1. Fugit autem David de Najoth, quæ est in Ramatha, veniensque locutus est eorum Jonatha: Quid feci? quæ est iniquitas mea, et quod peccatum meum in patrem tuum, quia quarrit animam meam? 2. Qui dixit ei: Absit, non morieris, neque enim faciet pater meus quidquam grande vel parvum, nisi prius indicaverit mihi; hunc ergo celavit me pater meus sermonem tantummodo, nequaquam erit istud. 3. Et juravit rursus Davidi. Et ille ait: Scit profecto pater tuus quia inveni gratiam in oculis tuis, et dicit: Nesciat hoc Jonathas, ne forte tristetur. Quinimo vivit Dominus, et vivit anima tua, quia uno tantum (ut ita dicam) gradu, ergo morsque dividimur. 4. Et ait Jonathas ad David: Quodcumque dixerit mihi anima tua, faciam tibi. 5. Dixit autem David ad Jonatham: Ecce calendæ sunt crastino, et ego ex more sedere soleo juxta regem ad vescendum; dimitte ergo me ut abscondar in agro usque ad vesperam diei tertii. 6. Si respiciens requisierit me pater tuus, respondebis ei: Rogavit me David, ut iret celeriter in Bethlehem civitatem suam; quia victimæ solemnnes ibi sunt universis contributibus suis. 7. Si dixerit: Bene; pax erit servo tuo: si autem fuerit iratus, scito quia completa est malitia ejus. 8. Fac ergo misericordiam in servum tuum; quia servus Domini me famulum tuum tecum inire fecisti. Si autem est iniquitas aliqua in me, tu me

interfice, et ad patrem tuum ne introducas me. 9. Et ait Jonathas: Absit hoc a te; neque enim fieri potest ut, certe cognovero completam esse patris mei malitiam contra te, non annuntium tibi. 10. Responditque David ad Jonatham: Quis renuntiabit mihi, si quid forte responderit tibi pater tuus dure de me? 11. Et ait Jonathas ad David: Veni et egrediamur foras in agrum. Cumque exissent ambo in agrum, 12. ait Jonathas ad David: Domine Deus Israel, si investigavero sententiam patris mei crastino vel perendie, et aliquid boni fuerit super David, et non statim misero ad te, et notum tibi fecero; 13. hæc faciat Dominus Jonathas, et hæc addat. Si autem perseveraverit patris mei malitia adversum te, revelabo aurore tuam, et dimittam te ut vadas in pace, et sit Dominus tecum sicut fuit cum patre meo. 14. Et si vixero, facies mihi misericordiam Domini; si vero mortuus fuero, 15. non auferes misericordiam tuam a domo mea usque in sempiternum, quando eradicaverit Dominus inimicos David, unumquemque de terra; auferat Jonatham de domo sua, et requirat Dominus de manu inimicorum David. 16. Pepigit ergo Jonathas fœdus cum domo David, et requisivit Dominus de manu inimicorum David. 17. Et addidit Jonathas dejerare David, eo quod diligeret illum; sicut enim animam suam, ita diligebat eum. 18. Dixitque ad eum Jonathas: Cras calendæ sunt, et requireris; 19. requiretur enim sessio tua usque perendie. Descendes ergo festinus, et venies in locum ubi celandus es in die qua operari licet, et sedebis juxta lapidem, cui nomen est Ezel. 20. Et ego tres sagittas mittam juxta eum, et jaciam quasi exercens me ad signum. 21. Mittam quoque et puerum, dicens ei: Vade, et affer mihi sagittas. 22. Si dixerit puer: Ecce sagittæ intra te sunt, tolle eas; tu veni ad me, quia pax tibi est, et nihil est mali, vivit Dominus: si autem sic locutus fuero puer: Ecce sagittæ ultra te sunt, vade in pace, quia dimisit te Dominus. 23. De verbo autem quod locuti sumus ego et tu, sit Dominus inter me et te usque in sempiternum. 24. Absconditus est ergo David in agro, et venerunt calendæ, et sedit rex ad comedendum panem. 25. Cumque sedisset rex super cathedram suam (secundum consuetudinem) quam erat juxta parietem, surrexit Jonathas, et sedit Abner ex latere Saul, vacuumque apparuit locus David. 26. Et non est locutus Saal quidquam in die illa: cogitabat enim quod forte evenisset ei, ut non esset mundus, nec purificatus. 27. Cumque illuxisset dies secunda post calendæ, rursus apparuit vacuum locus David, dixitque Saul ad Jonatham filium suum: Car non venit filius Isai nec heri, nec hodie, ad vescendum? 28. Responditque Jonathas Sauli: Rogavit me obnixè ut iret in Bethlehem, 29. et ait: Dimitte me, quoniam sacrificium solemne est in civitate, unus de fratribus meis accessit me: nunc ergo si inveni gratiam in oculis tuis, vadam cito, et videbo fratres meos. Ob hæc causam non venit ad mensam regis. 30. Iratus autem Saul adversum Jonatham, dixit ei: Fili mulieris virum ultro rapientis, numquid ignoro quia diligis filium Isai, in confusione tuam et in confusione ignominiose matris tuæ? 31. Omnibus enim diebus, quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu, neque regnum tuum. Itaque jam nunc mitte, et adducere eum ad me, quia filius mortis est. 32. Respondens autem Jonathas Sauli patri suo, ait: Quare morietur? quid fecit? 33. Et arripuit Saul lanceam ut percuteret eum. Et intellexit Jonathas quod defuit esset a patre suo, ut interficeret David. 34. Surrexit ergo Jonathas a mensa in ira furoris, et non comedit in die calendarum secunda panem. Contristatus est enim super David, eo quod confudisset eum pater suus. 35. Cumque illuxisset mane, venit Jonathas in agrum juxta placitum David, et puer parvulus cum eo, 36. et ait ad puerum suum: Vade, et affer mihi sagittas quas ego jacio. Cumque puer cucurrisset, jecit aliam sagittam trans puerum. 37. Venit itaque puer ad locum jaculi quod miserat Jonathas; et clamavit Jonathas post tergum pueri, et ait: Ecce ibi est sagitta porro ultra te. 38. Clamavit iterum Jonathas post tergum pueri, dicens: Festina velociter, ne steteris. Contegit autem puer Jonathas sagittas, et attulit ad dominum suum; 39. et quid ageretur penitus

ignorabat; tantummodo enim Jonathas et David rem noverant. 40. Dedit ergo Jonathas arma sua puero, et dixit ei: Vade et defer in civitatem. 41. Cumque abiisset puer, surrexit David de loco qui vergebat ad Austrum, et cadens pronus in terram, adoravit ter, et osculantes se alterutrum, flevunt pariter. David autem amplius. 42. Dixit ergo Jonathas ad David: Vade in pace; quæcumque juravimus ambo in nomine Domini, dicentes: Dominus sit inter me et te, et inter semen meum et semen tuum usque in sempiternum. 43. Et surrexit David, et abiit; sed et Jonathas ingressus est civitatem.

3. UNO TANTUM (UT ITA DICAM) GRADU EGO MORS-
QUE DIVIDIMUR, *q. d.* Vicinus sum morti, instat mihi mors parata a patre tuo: tantum deest illi occasio necis mee patranda, illam querit, illaque data certo me occidet. Sic ægris et senibus instat mors, ut ab ea uno tantum gradu vel passu distare videantur. Sic navigantes in mari uno tantum palmo, et ut poeta ait, « quatuor digitis, » distant a morte: palmo enim duntaxat limbus navis super mare eminet, quem si mare fluctans transcedat, eam cum rectoribus submerget. Sic quilibet homo uno gradu distat a morte: si enim vel febris vel peste corripitur, morietur; imo gutta una aquæ sive cathari nocte in fauces defluens eum suffocabit, nisi multas accidere vidimus. Et hæc est vita tam caduca, tam incerta, tam brevis, cui mortales inhiant, et quasi semper duratura incumbunt, ut ei opes, honores, delicias sine fine component. O quam exigui sunt mortalium termini, o quam exigui sunt mortalium animi! « Fili hominum, ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium? » Cur non vitam presentem tam fallacem contemnitis, ac futuram beatam et æternam ambitis?

3. ECCE CALENDÆ SUNT CRASTINO, ET EGO EX MORE
SEDERE SOLEO JUXTA REGEM AD VESCENDUM: DIMITTE
ERGO ME, UT ABSCONDAR IN AGRO USQUE AD VESPERAM
DIEI TERTIÆ. — « Calendæ » erat primus dies mensis, qui apud Hebræos non quidem proprie erat festus, sed tamen sacrificiis celebris: vocabaturque Hebraice כֹּלֶדַי *Chodes*, id est innovatio lunæ et mensis, Græce νεφέλη, Latine *novilunium*; Hebræi enim habebant menses lunares, adeoque novilunium, sive prima dies novæ lunæ et lunationis, erat primus dies mensis, ut dixi *Numer. xxviii, 11*, ubi causas hujus rei dedi: quare illo die sacrificium, indeque convivium cum amicis agebant. Hæc de causa David, quasi gener regis, eo die solebat mensæ Saulis accumbere: sed quia eum sibi adeo infensum expertus erat, non fuit ausus ad eum accedere, ne rursus ab eo lancea feriretur. Ait ergo Jonathas ut animum patris erga se exploret, se interim mutato habitu latitaturum in agro vicino, ut a Jonathas responsum expectet usque ad diem tertium; ut si primo die Calendarum Jonathas non habeat occasionem agendi cum patre de Davide, auceatur illum secundo, ac tertio die eandem sibi significet, ut si videat patrem mitigatum et odium deposuisse, ad mensam eius accedat; sin autem, fuga salutis suæ consulat.

Chaldeus ait fuisse calendæ mensis secundi, puta aprilis, et embolismi diem, quo proinde celebrabatur pascha; ut David sic in eo a Saulo quaesitus ad necem, fuerit typus Christi in Paschate a Judeis occisi, sed a morte die tertia gloriose resurgentis.

Sic et Romani celebres habebant mensium suorum calendæ. « Calendæ enim, ait Macrobius, lib. I *Satur.* cap. xvi, in fine, inde sunt dicte quod in illis Pontifex calata, id est vocata, in Capitolium plebs, quot numero dies a Calendis ad Nonas superessent pronuntiabat, et quintanas quidem, dicto quinquies verbo *xxxix*, septimanas, repetito septies, prædicabat. » Græci quoque celebrabant festa *ἐπετηρίων*, teste Turnebo, libro III, cap. iv.

8. QUIA FŒDUS DOMINI ME FAMELUM TUUM TECUM
IRE FEGISTI. — « Fœdus Domini » vocat fœdus coram Domino, et interposito Domini in juramento federali nomine, initum. Item Dei respectu, veneratione et amore sancitum. Dicit hoc David, ut acris pungat animum Jonathas ad fœdus servandum, et juxta illud præstandum sibi opam apud patrem; utpote quam non tantum sibi, sed et læo quasi promissam præstiturus sit.

SI AUTEM EST INIQUITAS ALIQUA IN ME, TU ME INTER-
FICE, ET AD PATREM TUUM NE INTRODUCAS ME, — Ne ille odio suo inveterato ardens in me serviat, neque crudeliter excuciet, *q. d.* Moriar potius manu amica, quam inimica. Sic Phœdra apud Senecam ait Hippolyto suo: « Nimis opto amantis immortui manibus. » Similiter ait hic David: Si mortui evadere nequeo, si moriendum mihi sit; melo amica tua manu amice occumbere, quam inimici hostili et crudeli vindicta disructari. Sciebat David Jonatham, utpote amicum, id nequaquam facturum: sed utitur hæc phrasi ad pathos, ut cor Jonathas cruciet, ipsumque adigat ad suam causam apud patrem serio et efflicite peragendam. Ita Abulensis. Sic enim solent amantes amorem amantium stimulando ænere. Similiter Japonenses suos cognatos vel amicos a rege ad mortem damnatos sua manu obruncant, ne id fiat per inimicum vel carnificem: hoc enim ipsi infame et probrosum putant.

9. COMPLETAM ESSE PATRIS MEI MALITIAM CONTRA
TE, — ut plene planeque decreverit te ad necem persequi et occidere.

12. DOMINE DEUS ISRAEL, — subaudi, castiga et vindica me, si fidem Davidi meo datam fefelleris.

Jonathas enim ex aestu amoris perturbate, inferripit et incisio loquitur, uti solent facere amantes. Nam invocat Deum: nec sensum explet, sed per enallagen personae, mentem et os a Deo ad Davidem adeo a se amatum convertit, dicens:

ET NON STATIM MISERO AD TE (o David mi!) Deinde sensum explet dicens): HEC FACIAT DOMINUS JONATHAE, ET HEC ADDAT, — *q. d.* Hisce et hisce penis me afficiat, et plures addat penasque penis accumulet.

13. REVELABO AUTI TUAM, — *q. d.* Secreto, sed certo tibi quasi in aurem ingeram et indicabo.

ET SIT DOMINUS TEGEM, SICUT FUIT CUM PATRE NEO, — ut sicut illum ex humili vilique ad regnum exivit, et tot victoris cumulat; ita faciat et tibi. Tacite enim Jonathas hic Davidi regnum vaticinatur. Audi S. Hieronymum hic in *Tradit.*: « Sit Dominus tecum, sicut fuit cum patre meo, id est sublimis faciat regnum tuum, sicut sublimis fecit patri meo regnum. Et si vixero, facias mihi misericordiam Domini; ut scilicet sim secundus in regno tuo; et si mortuus fuero, non auferes misericordiam tuam a domo mea usque in sempiternum. »

Sic et Angelomus, Lyranus, Abulensis et Vatablus, idque ita esse patet, ex eo quod Jonathas ait Davidi, cap. xxii, vers. 17: « Et tu regnabis super Israel, et ego ero tibi secundus, sed et pater meus Saul scit hoc. »

14. ET SI VIXERO, FACIES MIHI MISERICORDIAM DOMINI, — id est coram Domino, Domini nomine interposito mihi a te in foedere promissam, cap. xviii, vers. 3; sic enim vocavit « foedus Domini, » vers. 8. Alii, *Domini*, id est *Domino gratiam et placitam*, ait Pagninus. Aut potius *Domini*, id est *magnam et insignem*, qualem scilicet solet Dominus suis fidelibus et amicis exhibere: quae enim Domini sunt magna sunt. Sic dicuntur « Cedri Dei » et « montes Dei, » id est magni et excelsi. Ita Vatablus, Sanchez et alii.

Porro Hebraea hic implexa sunt et obscura, et a variis varie vertuntur: sed sic optime veritas, ut *et non, id est et non, quod ter repetitur*, legas non assertive, sed interrogative, hoc modo: *Et non, id est et nonne cum adhuc fuero, vivens, novae, inquam, facies mecum misericordiam Domini? Et nonne, si moriar, non excindes misericordiam a domo mea? q. d.* Omnia facies, et non excindes, ut clare veritas Noster. Sic videtur interpretari Septuaginta, qui pro *et non, vertunt, et si, hoc est nonne? si tamen assertive malis legere, post et non, subaudiendo tantum; sic ad verbum verte cum Pagnino et Vatablo: Et non tantum adhuc me vivente facies mecum misericordiam Domini, et non moriar; sed etiam non excindes misericordiam tuam a domo mea usque in saeculum, ne (tum quidem) cum absiderit Dominus inimicos David; qui sensus in re idem est cum priori; et utrumque clare reddit vulgatus interpret.*

15. AUFERAT JONATHAS DE DOMO SUA. — Hae verba non sunt in Hebraeo, sed in Septuaginta et Latinis Romanis. Sensus est, *q. d.* Si ego Jonathas tibi, o David, fuerim invidus et fedifragus, precor ut Deus me puniat, et meam familiam posteritatemque auferat et subvertat, utque Deus requirat, ut judicet, vindicet et ulciscatur inimicos Davidis, et per consequens me meosque, si contra factus sum cum eo inilum me ejus hostem ostendero. Ita Abulensis. Jurat enim Jonathas juramento exoratorio se fidem Davidi datam servaturum.

16. ET REQUISIVIT DOMINUS DE MANU INIMICORUM DAVID. — Interrupti hic Auctor libri scribi historiae et pacti, ut significat ita reipsa evenisse postea, sicut imprecatus fuerat Jonathas: scilicet Deum « requisivisse, » id est exegisse vindictam de Saule caeterisque inimicis Davidis, qui eum injuste persecuti fuerant et afflixerant. Ita Angelomus, qui et alium sensum affert, nimirum hunc: « Deus requisivit, » id est rationem exegit ab iis qui noluerunt cum Davide inire foedus, sicut inerat Jonathas: utpote cum viderent Dominum stare et pugnare cum Davide.

Porro Septuaginta, Chaldaeus, Vatablus, ex Hebraeo sic apposite vertunt, et requirit Dominus de manu inimicorum David: sicque exponunt, ut hae verba sint quasi materia foederis, quod Jonathas cum Davide inicit, *q. d.* Peperit Jonathas foedus, cum domo David dicendo: requirat, id est castiget et ulciscatur Dominus inimicos Davidis, qui cum inique vexant et insectantur, ac consequenter castiget quoque et puniat me meosque, si fidem fallam, eique ex amico flam inimicus.

19. REQUIRETUR ENIM SESSIO TUA, — id est locus sessionis tuae in mensa, *q. d.* Queret Saul cur vacuus sit locus sessionis tuae, id est cur tu absis a mensa praeter solitum. Solebat enim David saepe, praesertim diebus festis vel celebribus, quales erant Calende, quasi gener regis illi in mensa sedere tertio loco, aint Septuaginta et Josephus. Nam in mensa primus sedebat Saul, secundus a dextris sedebat Jonathas filius, tertius David gener: Abner vero patruelis Saulis et princeps militiae sedebat secundus a sinistris ex adverso Jonathae.

USQUE PERENDE, — primo enim die Calendarum Saul faciebat solemne epulum ex victimis pacificis a se Deo immolatis: secundo vero die reliquias consumebat juxta legem, *Levit. vii.* Quare usque ad tertium diem locus Davidis in mensa Saulis futurus erat vacuus, et causam absentiae Davidis ex Jonathae quaesitus erat Saul.

DESCENDES ERGO FESTINUS, ET VENIS IN LOCUM UBI CELANDUS ES IN DIE QUAE OPERARI LICET, — *q. d.* Primo die post Calendas venies in Ezel, ut ibi lateas; nam ipso die Calendarum « operari, » et consequenter proficisci et magnum «er facere non licet. Licet enim Calende sive Neomenia non esset proprie festum a lege indictum, ut eo operari et proficisci vetaretur; tamen populus ex devotione et

consuetudine Neomeniam ut festum colebat, illo die ab opere cessabat, ac sacrificiis epulisque vacabat. Ita Abulensis, qui citat S. Augustinum dicentem: « Melius faceret Judaea mulieres si in Neomenia nerent, quam in his impudice saltarent. » Forte etiam Jonathas non loquitur de Calendis, sed de Sabbato, quod tum occurrebat, quo operari non licebat.

ET SEDEBS JUXTA LAPIDEM CUI NOMEN EST EZEL. — Hebraice *Haezel*, hoc est sed-his juxta certum lapidem qui vocatur *Ezel*, id est *itinerarius*, ait Pagninus, eo quod itinerantibus in bivio demonstraret utriusque viae exitum, qualis fuit lapis Mercurii: hic enim erat deus et index viarum. Ita Lyranus et Vatablus. Aut dicitur est *itinerarius*, eo quod viatoribus miliaria et distantiam locorum ostendat. Sic enim postea Romani, omnis pollicis emuli, in celebrioribus viis staterunt lapides miliarios. Unde ille phrases: « Primo ab urbe lapide, secundo vel tertio ab urbe lapide; » hoc est primo, secundo vel tertio ab urbe miliario: lapides hic etiamnum Romae nonnullis in locis exstant. Et talis fuisse videtur lapis hic *Ezel*. Audi Adrichomium: Lapis Ezel dicitur a viatoribus seu de ambulatione; distat a Jerusalem 150 stadiis, et ab Jordane stadiis sexaginta, teste Josepho, lib. V *Antiq.* cap. iv. Idem lapis vel locus a Septuaginta dicitur *Ergab*: causam dicam vers. 41.

20. ET JACIAM QUASI EXERCESSE ME AD SIGNUM, — ut scopum sagitta configam. Ita Septuaginta, Chaldaeus, Aquila, Symmachus, Theodotus et alii.

21. DIMISIT TE DOMINUS, — liberum scilicet; liberavit te Deus de manu Saulis, fecitque te cognitum per me ejus in te odio liber aufereres et abires.

22. DE VERBO AUTEM QUOD LOCUTI SUMUS EGO ET TU, SIT DOMINUS INTER ME ET TE. — testis scilicet, *q. d.* Soli nos duo hoc foedus inimus; quare nullus ejus est testis nisi Deus, qui unus pro omnibus sufficit, ut jugiter memores nos reddat hujus foederis coram se inini, adigatque ad illud exacte servandum.

23. CUMQUE SEDISSET REX SUPER CATHEDRAM SUAM. — Hinc videtur Saul sedisse ad mensam, non discubuisse: quare mos discumbendi apud Hebraeos posterius introductus videtur.

SURREXIT JONATHAS, — id est, assurrexit venienti Abner honoris causa, ait Vatablus. Porro Chaldaeus vertit, *stetit Jonathas*; Septuaginta, *provenit eum Jonathas*: quia enim cathedra Saulis adhaerebat parieti, hinc prius transire debebat Jonathas ad locum suum, quam Saul sessione sua locum illi ad transendum occluderet. Aut « surrexit Jonathas, » scilicet ut ad locum suum in mensa periret, illumque sedendo occuparet.

25. NEC PURIFICATUS. — Hinc videtur quod convivium hoc regis Saulis in Calendis instructum fuerit ex victimis pacificis, hoc est pro pace, prosperitate et felicitate totius mensis Deo oblati;

ut scilicet Deus hunc mensem sibi suoque regno faceret faustum et salutarem. Nam immunde poterant vesci communibus cibis, et mense regio accumbere: nec enim arcebantur communicatione hominum, sed sacrorum, puta ingressu templi. Cogitabat ergo Saul Davidem ex caede alim-cujus Philistaei, alvare simili re contraxisse immunditiam legalem, nec ab ea se adhuc purificasse, ideoque absentare a mensa regis, in qua carnes Deo oblatas apponebantur, quibus immundi vesci non poterant.

27. CUR NON VENIT FILIUS ISAI? — Ecce hic fil Saulis se exirit: non enim Davidem nomine suo nuncupat, sed contemptum eum vocat *filium Isai*, hominis plebeii.

28. ROGAVIT ME OBXIRE ET IBET IN BETHLEHEM. — Menitur Jonathas, sed officiose, putans id sibi licere ad excusandum Davidem amicum suum.

30. FILII MULIERIS VIRUM ULTRO RAPIENTIS, — id est filii meretricis: hinc enim virum amicit et ad scelus allicit. Sic et Septuaginta: *Fili*, inquit, *puellarum sponte venientium*; unde videtur legisse *puellarum sponte venientium*; per *ר*: jam legitur per *נאווה* *navath*. Unde cum Pagnino vertunt, *Fili perversa rebelliosis*; hanc enim significat *נאווה* *navath*, id est *descedantium ad viros, et ultra se vis ingerentium*: *ר* *irad* enim significat *descendere*. Aut Noster legit *maridot*, id est *dominantium*, quae scilicet vis sua Hebraea et forma dominantur, a radice *rada*, id est *dominari*. Sensus ergo est *q. d.* Saul: Videris mihi, o Jonathas, non esse filius meus, sed matris adulterae, eo quod non pareas nec faveas mihi, sed Davidem magis ames quam me, quasi ille vel aliquis ejus cognatus sit pater tuus, non ego, et quasi mater tua non ex me, sed ex Davide te conceperit et genuerit; ideoque non me, sed Davidis amorem tibi ingeneravit. Unde sequitur:

IN CONFUSIONEM MATRIS Tuae, — *q. d.* Hoc ipso quod adeo amas Davidem, confundis te et matrem tuam; ostendis enim ipsam non ex me, sed ex amico aliquo Davidis concepisse.

31. FILIUS MORTIS EST, — id est reus mortis est, dignus est morte, ideoque a me morti destinatus. Allegorice Angelomus: « David, inquit, absconditus in agro, est Christus celatus. In mundo (inquit Joannes) erat, et mundus eum non cognovit. Juxta lapidem sedebat, quia in tabulis legis scriptus erat. Eum Saul odio habens et inter epulas sedens, filium mortis iudicabat: et Iudaica plebs, in Paschae epulis convivans, de necesse Christi tractabat. »

41. DE LOCO (lapidis Ezel) QUI VERGEBAT AD AUSTRUM. — Hebraice *עזל negab*, id est *ad Meridiem, sive Austrum*. Porro Septuaginta retulerunt nomen *negab*, quasi proprium, sed illud a descriptoribus depravatam est, ut pro *negab*, legatur, *Ergab* vel *Argab*, vel *Aunegab*. Audi S. Hieronymum in *Locis Hebr.*: « Ergab, ad quum

locum Jonathas filius Saul veru direxit, militari-
bus jaculis se exercens. Pro quo Aquila et Sym-
machus in alio loco pro hoc *ἄρμα*, id est ambi-
tum dixerit.

Porro veru S. Hieronymus vocat telum vel jacu-
lum, ad veru similitudinem factum, æque ac
Virgilius, lib. VII *Æneid.*, dicens :

Et tereti pugnans mucrone veruque Sabello.

PROXUS IN TERRAM ADORAVIT TERTIO, — id est ter-

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

David fugit ad Achimelech pontificem in Nobe, ab eoque petit et accipit panes propositionis et gladium Goliath. Inde, vers. 10, videns in Julina, utpote Sauli subjecta, se latere non posse, fugit ad Achis regem Geth, apud quem proditus et accusatus, simulat se stultum, itaque liber evadit.

1. Venit autem David in Nobe ad Achimelech sacerdotem; et obstupuit Achimelech, eo quod venisset David. Et dixit ei: Quare tu solus, et nullus est tecum? 2. Et ait David ad Achimelech sacerdotem: Rex præcepit mihi sermonem, et dixit: Nemo sciat rem, propter quam missus es a me, et cujusmodi præcepta tibi dederim; nam et pueris condixi in illum et illum locum. 3. Nunc ergo si quid habes ad manum, vel quinque panes, da mihi, aut quidquid inveneris. 4. Et respondens sacerdos ad David, ait illi: Non habeo laicos panes ad manum, sed tantum panem sanctum, si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus? 5. Et respondit David sacerdoti, et dixit ei: Equidem, si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri et nudius tertius, quando egrediebamur, et fuerunt vasa puerorum sancta. Porro via hæc polluta est, sed et ipsa hodie sanctificabitur in vasis. 6. Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem. Neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes propositionis, qui sublati fuerant a facie Domini, ut ponerentur panes calidi. 7. Erat autem ibi vir quidam de servis Saul, in die illa, intus in tabernaculo Domini; et nomen ejus Doeg Idumæus, potentissimus pastorum Saul. 8. Dixit autem David ad Achimelech: Si habes hic ad manum hastam, aut gladium? quia gladium meum, et arma mea non tuli mecum; sermo enim regis urgebat. 9. Et dixit sacerdos: Ecce hic gladius Goliath Philistæi, quem percussisti in valle Terebinthi, est involutus pallio post Ephod; si istum vis tollere, tolle. Neque enim hic est alius absque eo. Et ait David: Non est huic alter similis, da mihi eum. 10. Surrexit itaque David, et fugit in die illa a facie Saul; et venit ad Achis regem Geth. 11. dixeruntque servi Achis ad eum, cum viderent David: Numquid non iste est David rex terræ? nonne huic cantabant per choros, dicentes: Percussit Saul mille, et David decem millia? 12. Posuit autem David sermones istos in corde suo, et extimuit valde a facie Achis regis Geth. 13. Et immutavit os suum coram eis, et collabebatur inter manus eorum, et impingebat in ostia porte, desiliebantque salivæ ejus in barbam. 14. Et ait Achis ad servos suos: Vidistis hominem insanum, quare adduxistis eum ad me? 15. An desunt nobis furiosi, quod introduxistis istum, ut fureret me presente? hincne ingredietur domum meam?

1. VENIT AUTEM DAVID IN NOBE AD ACHIMELECH SACERDOTEM — summum, sive Pontificem. Erat enim Achimelech filius Achis, filii Achitob, filii Phinees, filii Heli Pontificis. S. Marcus, II, 26, ait Davidem venisse ad Abiathar, sive quia Abiathar filius Achimelechi, patre absente vel ægrotante,

tio se in terram prostravit, itaque reverentiam Jonathæ exhibuit.

42. QUÆCUMQUE JURAVIMUS, IN NOMINE DOMINI, — vers. 11. scilicet rata firmaque sint; vel eorum vimis semper memores. Est ellipsis, et reticentia mire congruens dolentibus: hi enim ex dolore multa subfocant; dolor enim eis os fœcesque occludit, ut verba frangant, et sententiam dimidient vel incidant. Tale est illud Christi desilentis excidium Jerusalem: « Si cognovissetis et tu, » *Luce* cap. XIX, vers. 42.

vices ejus obibat; sive quia nomen utrumque tam filio quam patri erat commune, uti ibidem ostendi. David initio persecutionis Saulis fugiens, secundo et tertio ad eum rediit, sperans eum sibi reconciliare. At ubi a Jonathâ cognovit implacabile ejus contra se odium, fugit, nec amplius ad Saulem rediit.

IN NOBE. — Civitas hæc cessit sacerdotibus occasione, ut videtur, tabernaculi federis eo translati. Nam Josue, cap. XXI, inter urbes sacerdotales non recensetur « Nobe. » Post Josue ergo data fuit sacerdotibus, cum tabernaculum in illam fuit delatum. Tabernaculo enim deservire debebant sacerdotes. Porro duæ erant urbes dictæ « Nobe, » una in confinio tribus Juda et Benjamin eis Jordanem, altera trans Jordanem in dimidia tribu Manasse, *Numer.* XXXII, 42, et *Judic.* cap. VIII, 41. Multi priorem « Nobe » hic accipiunt: Serarius vero posteriorem, eo quod prior illa vicina esset Gabaa Saulis, David vero hic, vers. 4, dicat se illic egressum non eodem die, sed ab heri et nudius tertius: ergo intelligit « Nobe » trans Jordanem sitam: hæc enim longius distabat a Gabaa ubi habitabant Saul et David.

Nota: Tabernaculum federis continens arcam, quod Moses fabricavit, fuit in Silo, ibique mansit usque dum caperetur arca a Philistæis, a quibus post septem menses remissa, collocata fuit arca in Bethsharim; inde a Davide in Sion: inde a Salomone in templum ab eo erectum. Tabernaculum in Nobe; quæ a Saule subversa, ut audiamus capsequenti, translatum fuit in Gabaa: inde a Salomone traductum in templum, III *Reg.* VIII.

Porro Sacerdotes et Pontifices sacrificia offerebant eo loci, ubi erat tabernaculum; quia in eo erat allare holocaustorum, in quo offerende erant victimæ, I *Paralip.* XXI, 29; subinde tamen Samuel alique ob graves causas dispensante Deo aliis in locis sacrificarunt, donec Deus elegit sibi stabilem locum in templo Salomonis.

Dices: David dicitur tetendisse arce tabernaculum in Sion, II *Reg.* cap. VI, 17. Respondeo, hoc tabernaculum non fuisse illud prisicum a Mose fabricatum, sed novum a Davide in Sion ad honorem arce erectum.

ET OBSTUPUIT ACHIMELECH, EO QUOD VENISSET DAVID, — quia videbat eum solum et inermem, velul vagum et profugum, ac causam, scilicet iram Saulis ignorabat.

QUARE TU SOLUS, ET NULLUS EST TECUM? — solus enim David fuerat cum Jonathâ, ab eoque cognito decreto Saulis de se occidendo, illico solus famelicus et inermis profugerat ad Achimelech, quasi Pontificem. Aliter respondent Lyranus, Dionysius et Athanasius, homil. *De Semete*, scilicet Davidem dici solum venisse, quia non veniebat comitatus solita frequentia famulorum et militum, sed paucis dumtaxat stipatus.

2. REX PRÆCEPIT MIHI SERMONEM. — Mentitur David officiose ad latendam vitam suam: ne scilicet si diceret se fugere Saulem sibi infensum, Achimelech metuens iram Saulis, non auderet panes sibi dare; rursum ne ipsi Achimelech crearet periculum vite apud Saulem. Erat enim ibi Doeg, Sauli addictus, qui nihilominus Achimelech apud Saulem accusavit, ideoque causa fuit cur ab eo tot sacerdotes occiderentur, ut audiamus capite sequenti.

ET PUERIS (famulis) CONDIXI IN ILLUM ET ILLUM LOCUM. — Hinc videtur quod David solus lecta facie, ne agnosceretur a Doeg, ingressus sit ad Achimelech, famulos vero suos jam ante cum a Jonathâ discederet, vel per se adiens, vel per Jonatham, ait Abulensis, evocans jussit se in loco condicto juxta Nobe expectare: quare ab Achimelech accepisse panes, eosque ad famulos et socios in locum conditum expectantes delulisse: omnes enim laborabant ex hidu itinere, inedia et fame: quare omnes ex panibus sanctificatis famem expleverunt, ut ait Christus *Matth.* XII, 3, quia aliunde panes communes enim non Saulis habere non poterat. Necessitas enim non habet legem. Ita S. Hieronymus, Hilarius, S. Thomas, Maldonatus in *Matth.* XII, S. Ambrosius et Toletus in *Luce* cap. VI, Lyranus, Dionysius, Abulensis et alii hic. Allegorice Augustinus: « David, ait, ad Achimelech solus venit; et Christus in passionem suam solus relictus est. Quod autem ait David, illo et illo in loco condixi pueris meis, hoc indicabat quod Dominus Apostolos suos ante passionem suam informans ait: Postquam resurrexero, præcedam vos in Galileam. David ab Achimelech quinque panes quesivit, sed unum accepit: quia in quinque libris Mosæ legis unitas retinetur. »

4. SI MUNDI SUNT PUERI, MAXIME A MULIERIBUS, — quanto magis in lege nova maritos ab usu uxorum abstinere decet eo die, quo panem non propositionis, sed divinum, puta Eucharistiam summere volunt? ita Theologi.

3. ET FUERUNT VASA PUERORUM SANCTA. — « Vasa, » id est corpora, fuerunt munda a mulieribus et impolluta. Sic Apostolus, I *Thessal.* IV, 4, jubet ut quisque « vas, » id est corpus, « snum possideat in honore et sanctitate, » id est puritate. Ita Abulensis. Aliter Valabius, qui per « vasa » accipit vestes, q. d. Vestes habemus puras et mundas, quibus sanctum propositionis panem accipiamus.

PORRO VIA HÆC POLLUTA EST, SED ET IPSA HODIE SANCTIFICABITUR IN VASIS. — Hebraice *ἡ ὁδὸς* id est via, sæpe sumitur pro more, usu et consuetudine: hæc enim res teritur, perinde ac pedibus teritur via sæpius repetita. Est metaphora, q. d. « Via hæc, » id est mos hic laicis, immundus et pollutus est; quod scilicet laici vescantur panibus propositionis, quos non nisi sacerdotibus ex lege comedere licet: « sed sanctificabitur in vasis, » q. d. Panis hic sanctus non polletur,